



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An pœnitentia sit virtus aliqua specialis, & quodnam sit ejus
objectum materiale & formale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

dari propter solos actus imperfectos, quales sunt conditionati de objecto impossibili: Sed actus detestationis quo poenitentia circa peccatum prateritum versatur, non est absolutus, sed tantum conditionatus; quia nimirum poenitens vellet se non commisisse peccatum, si hoc esset possibile: Ergo poenitentia non est virtus.

14. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, nam affectus ille detestationis quo poenitentia circa peccatum prateritum versatur, ex parte subiecti est absolutus, quia de presenti actuatur voluntatem; ex parte vero objecti est mixtus ex conditionato & absoluto; quatenus enim est circa id quod praterijt de peccato, est conditionatus, & congruenter explicari debet per huiusmodi verbum de futuro imperfecto, *Vellem non commisisse peccatum, si possibile foret*: quatenus vero respicit effectum relictum ex peccato praterito, scilicet offensam Dei habitualiter permanentem, & reatum poenae, est absolutus & efficax, cum efficaciter retractet & removeat talem effectum; & ratione huius secundi respectus, potest explicari per verbum de presenti hoc modo: *Doleo me peccasse*, vel, *Displicet mihi peccatum*.

25. Objicies quarto: Verecundia non est virtus: Ergo nec poenitentia. Antecedens expresse docetur a D. Thoma 2. 2. qu. 144. art. 1. Consequentia vero probatur: Ideo enim verecundia non est virtus, quia est de turpi facto: Atqui etiam poenitentia est de turpi facto, scilicet peccato: Ergo si verecundia non sit virtus, poenitentia quoque virtus non erit.

16. Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam, & ad illius probationem dico quod licet poenitentia sit de turpi facto, sicut & verecundia, diversimode tamen, nam ut ait D. Thomas hic art. 1. ad 2. *Verecundia respicit turpe factum, ut praesens, pro quo timet confundi; poenitentia vero, ut prateritum*: hoc est poenitentia non patitur secum affectum peccati, imo odio habet illud atque destruit; verecundia autem potest compati cum affectu peccati, est enim timor vituperij seu opprobrij quod imminet vel nascitur, si turpe factum committatur, ut docet idem S. Doctor 2. 2. quaest. 144. art. 2. qui timor non tollit affectum peccandi, sed tantum vel externam ejus executionem impedit, vel saltem publicam, licet non occultam: & per accidens est illi, quod peccatum destruat, dum ponitur; per se vero poenitentia.

ARTICULUS II.

An poenitentia sit virtus aliqua specialis, & quodnam sit ejus objectum materiale & formale?

17. **A**ltiliodorensis, Major, & quidam alij antiqui Theologi existimant quod poenitentia non sit virtus specialis ab alijs distincta, sed quaedam conditio generalis, aut praedicatum transcendens omnes virtutes, ad eum modum quo injustitia sive iniquitas dicitur conditio generalis omnium peccatorum, & justitia generaliter dicta, conditio & praedicatum omnium virtutum, juxta illud Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem justitiam*, id est omnem virtutem. Alensis vero facit quidem poeniten-

Atiam esse virtutem specialem simpliciter, sed dic esse generalem quodammodo: Ipe quoad actum punitionis ipsius poenitentiae compensationem delicti; generalem vero, quod ad actum odij sive detestationis peccatorum concurrant aliae omnes virtutes, imperando illud; ex amore enim objecti virtutis, oditur odium objecti peccati, hoc est peccatum, poenitentia consequenter poenitendi virtus generalis, non quidem per modum conditionis quae per omnes virtutes divergetur ut Altiliodorensis, & Major existimant, sed per concomitantiam & aggregationem omnium virtutum.

§. I.

Vera & communis sententia duplex censenda statuitur.

Dico primo, poenitentia est virtus specialis, non autem conditio generalis omnium virtutum. Ita D. Thomas hic art. 2. & alij Theologi communiter.

C Probatur primo: Virtus cujus objectum speciale non est commune per modum praedicati transcendens objecta aliarum, sed speciale, non est generalis per modum praedicati transcendens omnes virtutes, sed specialis: Atqui objectum virtutis poenitentiae, non est commune per modum praedicati transcendens objecta omnium aliarum virtutum, sed speciale: Ergo poenitentia non est conditio generalis omnium virtutum, sed aliqua virtus specialis. Major constat, Minor vero probatur. Objectum virtutis poenitentiae est offensam Dei, ut expiabilis per satisfactionem, quae non sit ad aequalitatem perfectam: Sed hoc non transcendit objecta aliarum omnium virtutum, ut constat: Ergo objectum virtutis poenitentiae non est commune per modum praedicati transcendens objecta omnium aliarum virtutum.

D Probatur secundo ratione 1^a. Thomae lococitato, ubi sic dicitur: *Species habituum distinguuntur secundum species actuum, & ideo virtus specialis actus laudabilis, in se, si est propria specialis habitus virtutis: manifestum est autem quod in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati prateriti, in quantum est destructio, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis: non necesse est ponere quod poenitentia sit specialis virtus.*

E Probatur tertio: Virtus in cujus obiecto est difficultas quae non reperitur in obiectis aliarum virtutum, non est generalis per modum praedicati transcendens alias virtutes, sed specialis: ubi enim est specialis difficultas, ibi constituitur specialis virtus: At in offensam Dei, ut expiabilis per satisfactionem, quae est objectum poenitentiae, ut infra patebit, reperitur difficultas, quae non est in obiectis aliarum virtutum, in eo scilicet quod is qui peccati voluptatem jam experient, pro illo satisfacere & poenam sustinere velit: Ergo poenitentia non est virtus generalis per modum praedicati transcendens alias virtutes, sed specialis.

Dico secundo, Virtus poenitentiae non est generalis, aggregatione multarum virtutum.

Probatur primo destruendo fundamentum Al-

sis: Ideo enim dicit poenitentiam esse generalem virtutem per concomitantiam seu aggregationem aliarum omnium, quia detestatur mala illis omnibus contraria, detestando omne omnino peccatum: Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur: Licet poenitentia detestetur omnia omnino peccata, non tamen ea detestatur ut contraria aliis virtutibus (ad id enim præstandum sufficiunt aliæ omnes virtutes, quandoquidem quilibet ex amore boni proprii, habet per seipsum detestari malum sibi oppositum) sed ut expianda per satisfactionem, cum objectum poenitentia, ut infra dicemus, sit peccatum, quatenus est offensæ Dei expiabilis per poenam voluntarie assumptam: Ergo &c.

22 Probatur secundò: Si virtus poenitentia esset generalis, aggregatione multarum virtutum, non posset poenitens unico actu elicto à virtute poenitentia detestari omnia peccata: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor patet, nam sicut omnia peccata conveniunt in ratione offensæ contra Deum, ita omnia debent posse unico actu à virtute poenitentia elicto detestari. Sequela verò Majoris probatur: Si poenitentia non sit una specialis virtus, sed aggregatio multarum, unaquæque habebit suum objectum limitatum, & distinctum ab objecto alterius: Ergo non poterit una se extendere ad detestandum peccatum alteri oppositum: v. g. temperantia non poterit se extendere ad detestandum peccatum injustitiæ, nec è contra justitia ad detestandum peccatum intemperantiæ, & sic de reliquis: unde ad detestanda peccata contra omnes virtutes, requirerentur actus omnium virtutum: atque ita peccator non posset unico instanti per poenitentiam justificari: quia non posset justificari, nisi detestetur omnia peccata: non posset autem omnia peccata detestari, nisi exercendo actus omnium virtutum, quos homo in instanti exercere nequit: cum nequeat voluntas, saltem naturaliter, ad plura objecta & motiva specie diversa, per diversos species actus simul intendere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

3 Obijciens primò contra primam conclusionem: Illa virtus non est specialis, sed generalis, quæ se extendit ad objecta omnium aliarum virtutum: Sed poenitentia ad objecta omnium aliarum virtutum se extendit: Ergo non est virtus specialis, sed generalis. Major videtur manifesta, Minor verò sic ostenditur. Poenitentia respicit omne peccatum, operando ad illius destructionem: Sed peccatum in tota sua latitudine amplectitur materias omnium virtutum, ad omnes enim pertinet odisse peccatum unicuique oppositum & displicere de illo: v. g. ad temperantiam spectat per se primò prosequi bonum temperantiæ, & secundario fugere & odio prosequi peccatum intemperantiæ: Ergo poenitentia ad objecta omnium aliarum virtutum se extendit.

4 Respondeo distinguendo Majorem: Illa virtus non est specialis, sed generalis, quæ se extendit ad objecta omnium aliarum virtutum, sub motivo quo ab eis respicitur, concedo Majorem. Sub motivo quo à nulla ex aliis virtutibus respicitur, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Poenitentia se extendit ad objecta omnium aliarum virtutum, sub motivo quo ab eis respicitur, nego. Sub motivo quo à nulla illarum respicitur, concedo.

Tom. V.

A scilicet sub ratione offensæ Dei, ut expiabilis per satisfactionem, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Non enim est contrarium rationem specialis habitus, quod versetur circa objecta plurimum aliorum habitum, dummodo illa respiciat sub aliqua ratione sibi propria, ut patet in Metaphysica, quæ omnia objecta aliarum scientiarum respicit sub ratione entis.

B Obijciens secundò: Virtus specialis non potest opponi omni vitio aut peccato: quia sicut habet determinatum bonum à quo specficatur, ita & determinatum malum cui opponitur: At poenitentia omnibus omnino vitiis & peccatis contrariatur, nullum enim ex eis est, cum quo sit compatibilis: Ergo non est virtus specialis.

Respondeo primò, negando majorem universalem sumptam: charitas enim est virtus specialis, & tamen contrariatur cuilibet peccato mortali.

Respondeo secundò, non posse virtutem specialem opponi omni vitio, sub motivo speciali, sub quo unum vitium distinguitur ab alio, & singula opponuntur diversis virtutibus: posse tamen opponi sub motivo universali, in quo omnia conveniunt sub una ratione contra aliquam honestatem objectivam. Et hoc modo opponitur poenitentia omni vitio, & peccato, quatenus omnia vitia & peccata conveniunt sub ratione lisionis juris divini, ut constabit ex infra dicendis.

C Obijciens tertio: Cum omnis virtus contrarietur vitio & peccato sibi opposito, unumquodque autem per suum contrarium destruitur: ad delendum peccata, non est necessaria aliqua virtus, quæ sit habitus distinctus ab aliis: Sed poenitentia ordinatur ad delendum peccata commissæ: Ergo illa non est habitus aliquis specialis, distinctus ab aliis virtutibus.

Respondeo quod licet omnis virtus contrarietur peccato sibi opposito, considerato secundum rationem sub qua specialiter ei opponitur, v. g. fides destruat peccatum infidelitatis, ut infidelitas est: non tamen contrariatur peccato, considerato secundum rationem sub qua non habet oppositionem specialem cum ea, nempe sub ratione offensæ Dei: unde ad hanc contrarietatem vincendam & ad destruendum peccatum, quatenus est offensæ Dei, & satisfaciendum Deo pro tali offensa, datur locus virtuti speciali, quæ dicitur poenitentia.

D Obijciens quarto: Ad appetendum bonum in communi non datur virtus aliqua specialis: Ergo neque ad declinandum ab omni malo, quod intenditur à poenitentia, virtus specialis poni debet.

E Respondeo quod licet ad declinandum à malo ut sic, non requiratur virtus specialis, tamen ad declinandum à malo, quatenus est offensæ Dei, & destruendum est per satisfactionem, necessaria est virtus specialis.

Obijciens quinto contra secundam conclusionem: Illa virtus est generalis per concomitantiam, ad cuius actum concurrunt ceteræ omnes virtutes, ipsum imperando: Sed ad actum virtutis poenitentia, qui est detestatio omnis peccati, concurrunt omnes aliæ virtutes, ipsum imperando: ex eo enim quod temperantia, fortitudo, justitia, &c. ament sua objecta, imperant poenitentia ut detestetur peccata ipsis adversa: Ergo poenitentia est virtus generalis per concomitantiam sive per aggregationem aliarum virtutum.

Respondeo, datâ Majori, negando Minorem: licet enim aliæ virtutes concurrant ad odum peccati

cati, secundum quod opponitur bono proprio cuiusque virtutis; quia ejusdem virtutis est immediate prosequi bonum, & odio habere malum sibi adversum; odium tamen peccati considerati, ut est offensæ Dei, debilis per satisfactionem, sub qua ratione est à penitentia, nec elicitivè, nec imperativè procedit ab aliis virtutibus, sed oritur solum à penitentia; quia sub hac ratione non cadit sub objecto aliarum virtutum, sed solum spectat ad objectum penitentia.

§. III.

Alia difficultas resolvitur, & quodnam sit objectum materiale & formale virtutis penitentia, breviter explicatur.

33 Dico tertio, objectum materiale virtutis penitentia esse peccatum, quatenus est offensæ Dei expiabilis per satisfactionem.

Patet hæc conclusio, virtus enim penitentia versatur circa peccata, non sub particulari aliqua ratione, quandoquidem versatur circa omnia; nec prout opponuntur bono divino, sic enim respiciuntur à charitate, ut dicemus articulo sequenti: Ergo solum ut sunt offensæ & injuriæ Dei, expiabilis per satisfactionem; proprium enim ejus motivum est dolere de peccato ex intentione destruendi & removendi illud, ut est injuria Dei, quod fit per satisfactionem. Ex quo

34 Inferes primo, peccatum duntaxat præteritum, esse objectum ut sic dicam primum virtutis penitentia: quia offensæ ut expiabilis, consideratur ut præterita: neque enim est expiabilis, nisi postquam commissa est: secundario tamen & minus principaliter penitentia fertur circa peccata futura, quia proponit nulla impoterum committere.

Inferes secundo, peccata aliena non pertinere

35 ad objectum materiale penitentia, quia penitentia non respicit peccatum nisi ut expiabile, seu quodidem prorsus est, ut per satisfactionem compensandum: Sed purus homo non potest satisfacere pro culpa aliena, esto possit satisfacere pro pena temporalis: cuius differentia ratio est, quia satisfactio pro pena temporalis, fit veluti per externam quandam solutionem debiti, quam potest unus prestare pro alio: at verò satisfactio pro culpa fit per internam offendenti erga offensum subjectionem, quam non potest unus pro alio facere: Ergo &c.

Inferes tertio, quod licet culpa mortalis, cum habeat propriè rationem offensæ, sit veluti principale objectum penitentia, tamen peccatum veniale, cum participet imperfectè rationem culpæ & offensæ, erit etiam objectum saltem secundarium & minus principale illius. Idem cum proportionem dicendum est de peccato exteriori, quod non addit malitiam supra interioris. Peccatum verò originale, nullo modo pertinet ad objectum penitentia, quia tale peccatum est malum naturæ, & non personæ: unde non potest privati alicujus hominis satisfactione expiari.

37 Inferes quarto, non solum malum culpæ, sed etiam malum pænæ, pertinere ad objectum materiale penitentia: quia per pœnam voluntariè assumptam peccator satisfacit Deo, & compensat quantum est de se jus divinum læsum.

38 Dico quarto, objectum formale penitentia esse jus divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem & compensationem quandam.

A Patet etiam hæc conclusio, tum quia per illud objectum distinguitur penitentia ab aliis virtutibus, tum etiam quia attingere peccatum solum habens difficultatem: Ergo debet pertinere ad aliquam virtutem: Sed non potest pertinere ad aliam, quam ad penitentiam, ut consideratur in articulo sequenti: Ergo objectum formale penitentia est jus divinum læsum per peccatum, ut reparabile per satisfactionem.

ARTICULUS III.

B *An penitentia sit virtus à ceteris distincta, vel ad aliquam ex illis reducatur?*

Licet Theologi communiter doceant, penitentiam esse virtutem aliquam specialem, qui tamen non distinguunt illam à reliquis virtutibus, sed reducunt ad aliquam ex his quæ erga Deum versantur, vel ex illis quæ ad iustitiam pertinent. Unde cum dicunt penitentiam esse virtutem specialem, non sumunt illam specialem, prout distinguitur contra omnem aliam virtutem particularem, sed prout distinguitur contra aggregationem multarum virtutum. Aliqui ergo quos videmus in 4. p. quæst. 54. membro 1. arti. existimant penitentiam reduci ad charitatem, quatenus amore Dei detestatur peccatum; ejusdemque virtutis est diligere objectum, & detestari oppositum. Alij cum Cajetano asserunt eam pertinere ad virtutem religionis, quatenus honorem Dei debent, per peccatum sublatum, restituere. Alij cum Cajetano asserunt eam pertinere ad virtutem religionis, quatenus honorem Dei debent, per peccatum sublatum, restituere. Alij revocant quod penitentia est eadem virtus ac iustitia, vel commutativa, ut Durandus & Marilius: vel vindictiva, ut Scotus: vel distributiva, ut Gabriel.

§. I.

Revertitur prima sententia.

Dico primo, penitentiam esse virtutem distinctam à charitate.

Probatur ratione fundamentali: Virtutes quæ habent distincta objecta formalia, distinguuntur inter se: Sed charitas & penitentia recipiunt distincta objecta formalia: Ergo inter se distinguuntur. Minor probatur: Objectum formale penitentia est jus divinum læsum, ut reparabile per satisfactionem, ut articulo præcedenti ostensum est: objectum verò formale charitatis est bonum divinum, seu Deus ipse ut in se est, unde charitas est virtus Theologica, non verò penitentia: Ergo habent diversa objecta formalia.

E Confirmatur: Respicere jus divinum competit solum virtuti iustitiæ, cum jus sit proprium illius objectum: Sed charitas est virtus distincta à iustitiâ: Ergo jus divinum non respicit.

Probatur secundo conclusio, destruendo præcipuum fundamentum adversæ sententia. Licet charitas opponatur peccato, illudque destruere conetur respiciunt, & in ejus destructionem tendunt: Ergo inter se distinguuntur. Consequentia patet, Antecedens probatur, advertendo peccatum dupliciter posse considerari, nimirum prout est malum oppositum bono hominis, quem potest reparare rectitudine rationis, gratiæ, charitatis, & aliarum virtutibus ac donis supernaturalibus, & prout